DE

ECLAMPSIA GRAVIDARUM, PARTURIENTIUM, PUERPERARUM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-OBSTETRICIA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIV. M. APRILIS A. MDCCCXLVII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

HUGO TESSMAR
POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

WOLFF, MED. ET CHIR. DD.
SABERSKY, MED. ET CHIR. DD.
PEINE, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Convulsionibus, quae gravidas, parturientes et puerperas invadunt, nomina sunt imposita diversissima, quorum voce eclampsia hodie uti consuevimus: Vocabulum hoc a graeco ἐκλαμψίας deducitur, quod, si Kuehnium [1]) sequimur, errore nititur, quum Graeci talem vocem non cognoverint, sed voce ἔκλαμψις usi sint. Kuehnius, qui egregie de vocabuli hujus origine et significatione commentatus est, deducit ἐκλαμψίαν a verbo ἐκλάμπειν; hoc enim verbo medici graeci et illa valetudinis affecta, quae acuta et acutissima nominamus, quae repente vehementique impulsu erumpunt, et morbum quendam comitialem, i. e. epilepsiam, quod cives ex hoc morbo laborantes comitiis excludebantur, denotarunt; hodie vero nomine eclampsia duas morborum species designamus, quarum una haec est, de qua dissero, altera huic similis, apud infantes occurrit. Aliter nominant alii morbum: Sydenham apoplexiam hystericam, Tissot epilepsiam sympathicam, Levret et Astruc apoplexiam hystericam, aut lacteam, alii epilepsiam acutam, dystociam epilepti-

---

[1]) Censura lexicorum medicorum recentium. P. IV. p. 3. sqq.

cam [1]), ἐκλακτισμὸν vel ἐκλάκτισμα [2]), vernacula lingua *Fraisen* [3]). Inveniuntur quoque, qui nomen generale convulsionum praetulerunt nomini speciali eclampsiae [4]).

Eclampsia e morborum numero est, quorum et natura medicis admodum occulta et medendi ratio perquam incerta est, quamquam Hippocrates non ignarus fuit hujus valetudinis adversae quae etsi cum aliis, praesertim in nervorum systemate positis, affectionibus multum alit similitudinis, tamen ab iis adeo signis quibusdam differt, ut propriam speciem jure constituat. Quod attinet ad morbi frequentiam, illi, qui eum observarunt, valde inter se dissentiunt, quum domina La Chapelle inter triginta octo millia parturientium sexaginta septem, Mayer quinque eclampsia correptas inter duo millia et quingentas, Haufsmann tantum quattuor inter quindecim millia observarint; Merriman inter decem millia mulierum quadraginta octo, quas convulsiones oppresserunt, se vidisse narrat. Caussa, cur numerus earum, quas eclampsia adgreditur, locis diversis tantopere discrepat, non in diagnosi medicorum perversa et neglecta cernitur, sed tempestatis constitutione ignota niti videtur; Ramsbo-

---

[1]) **Merriman über regelwidrige Geburten und deren Behandlung. Aus dem Englischen von Kilian.**

[2]) **Gustav Schmalz Versuch einer medicinisch. Diagnostik.**

[3]) **Boërs Aphorismen über Fraisen bei Schwangeren und Gebärenden. 2. Bd. 4. Th. pag. 91. (eine Abhandlung geburtshülflichen Inhalts.)**

[4]) **Fr. Hoffmann über die Ursachen und Heilung der sogenannten Gichten oder Convulsionen. Frankfurt a. M. 1795. E. v. Siebold Handbuch zur Erkenntnifs und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. 2. Bd. pag. 147. sqq.**

tham et alii autores has convulsiones frequentissimas observarunt, si aër calore et vi electrica abundavit; Bouteilloux eclampsiam in maternitatis nosocomio epidemicam se vidisse affirmat. In eo fere omnes consentiunt, morbum raro ante sextum graviditatis mensem oriri; illae enim convulsiones, quae gravidas quatuor primis mensibus vexant, talem similitudinem speciemque hysteriae gerunt, ut neminem cura affligere possint; foetu excluso dispositio ad eclampsiam, nono et decimo graviditatis mense maxima, ita diminuitur, ut nonnullis hebdomadibus post penitus exstincta esse videatur.

MORBI SYMPTOMATA.

Prodromi.

Morbus saepe prodromorum stadio orditur, quod aut per dies aut per horas aut per punctum temporis modo impetum convulsionum indicat; interdum prodromi omnino desiderantur [1]). Quo brevius per tempus prodromi antecedunt, eo graviorem esse eclampsiam, contendit Dewees. Signa hujus stadii haec sunt: ardor capitis, vertigo, cephalaea frontalis vel occipitalis, aurium susurrus, visus hallucinationes, strabismus, amaurosis, cordis palpitatio, sensus frigoris juxta spinam dorsi, vomituritio, vomitus, sopor, anxietas, vultus animi pavorem exhibens, melancholia, animus alienatus, pulsus irregularis, aut durus et plenus, urina aquosa et copiosa. Sunt, qui magni momenti stomachi dolorem habeant, contendentes, convulsiones hoc symptomate designatas saepius afferre

---

1) **Joerg Handbuch d. Krankheiten des Weibes. 2. Aufl. p. 499.**

exitum lethalem, quod autem alii negant, qui praesente vel absente hoc signo nullum repererunt exitus discrimen. Convulsionibus nonnullarum mulierum sensus quidam gravitatis totius corporis praecessit. Hamilton defendit, eclampsiam semper oriri aptis remediis non adhibitis, ante partum atque in stadio secundo sensus frigoris pulsusque irregularis adsint. Osiander fere semper ante morbi impetum faciem et manus tumescentes, fervidas et rubras observavit et Stein inter prodromos tumorem commemorat, qui a labiis pudendi majoribus ordiens, modo alicui parti insidens, modo percurrens per totum corpus diffundatur. Denny oedema pedum impetui praecurrens animadvertit, quod causam eclampsiae disponentem existimat; est autem hoc signum non tam morbi causa, quam symptoma plethorae et venositatis adauctae. Hoc vero inter omnes constat, convulsiones nunquam existere, si dolores ad partum vehementes sint et crucient, sin vero titillationem et sensum inter voluptatem et molestiam fluctuantem afferant, vel subito quiescant, valde esse timendum, ne illae oriantur.

Ex quibus dictis efficitur, signa, quae prodromorum stadium constituunt, admodum varia esse et incerta; si in caussam inquirere volumus, cur modo haec modo illa magis perspicua sint, in constitutione positam inveniemus; etenim si mulier habitu apoplectico praedita est, symptomata praevia statu cerebri hyperaemico ejusque functionibus perversis, cephalaea etc. indicabuntur; sin vero apud aliam mulierem digestio locus est minoris resistentiae, impetui stomachi dolores et regio epigastrica turgida et inflata antecedent; ubi autem uterus nimis sensibilis et irritabilis exstat, signa concitationis localis

aderunt et prodromorum stadium hysteriae effigiem imitabitur.

Paroxysmus.

Stadium secundum morbi, epilepsiae instar, motibus voluntati non subjectis distinguitur, neque raro clamore aegrotae indicatur. Truncus corporis et partes extremae nunc flectuntur, nunc prosternuntur, aut jactantur maxima cum celeritate et festinatione, interdum autem hisce cum spasmis clonicis singularium corporis partium tonici spasmi, ut opisthotonus et emprosthotonus, alternant. Facies nunc pallet, nunc livet, faciei musculi varie distorquentur, oculi fulgentes et rubicundi per orbitam circumvolvuntur, palpebrae vicissim aperiuntur et clauduntur, nystagmus apparet, musculi masticatorii spasmis contrahuntur, saepe tam vehementibus, ut maxilla luxetur, dentibus frendit aegrota, lingua saepe divellitur, ita ut spuma ore collecta colorem recipiat rubrum; venae jugulares et frontales tumescunt, carotidum pulsus vehemens, respiratio difficilis et stertorosa, caput nunc rotatur, nunc rursum nunc antrorsum inclinatur, diaphragmatis contractionibus ingentibus singultus efficitur, qui aegrotam suffocare minatur; saepissime cum intestinis communicatur affectus vomitu concitato, urina et faecibus praeter voluntatem profluentibus. Aegrota aut subito mente privatur, aut, quod raro observatum est, conscientia inter impetum non omnino suspenditur. Uterus vario modo se habet, interdum clausus, saepe ita apertus est, ut digitum recipiat, simul mollis, saepissime valde contractus; uteri actio, jam ante impetum paene

nulla, plane cessat, sed nonnunquam per intervalla redit, etsi gravida mentis non compos sit.

Quod attinet ad tempus singularum morbi accessionum, intra horae quadrantem finiri solent, nec frequenter per horae spatium protrahuntur; interstitium, quod intercedit, a momento ad horas aliquot variat. In intervallis gravida aut mentis suae compos est, fatigationem, lassitudinem, cephalalgiam accusat, aut sopore et lipothymia premitur, suspiria et respiratio anhelosa continuantur, neque alia status cerebri hyperaemici signa deficiunt. Primum impetum, qui raro lethalis est, alter sequitur, pulsu nimis retardato insignis; hujus enim symptomatis autores sunt Merriman, Croft, Velpeau. Secundus impetus, primo fere semper vehementior, aut mortem infert, aut remittit et aliae subsequuntur funestae convulsiones; Burns vero feminam eclampsia laborantem observavit, quae unica accessione convulsionum superata sponte, neque ullo medicamine adhibito, convaluit. Sin vero aegrota e morbo salva evadit, e somno experrectae, fatigatae, languore detentae omnia, quae evenerunt, sunt ignota, statumque, in quo versatur, admiratione stupet, nec sensit quidem, se inter convulsiones partu esse liberatam. Si dolores per intervalla sunt efficaces et si partus jam satis fuit progressus, dum convulsiones inchoabant, foetus vivus aut exanimis emitti solet, sin autem dolores non adsunt, aut remittunt, partus retardatur; convulsiones inter graviditatem ingruentes partum fere semper accelerant.

MORBI DIVISIO.

Quae quum symptomata modo enumerata apud omnes eclampsia correptas feminas non inveniantur, sed modo haec, modo illa certo ordine conserantur, ex absentibus aut praesentibus, aut his aut illis signis, morbum in species sunt partiti auctores. Dewees eclampsiam divisit in epilepticam, apoplecticam et hystericam; Velpeau[1]) addidit tetanicam. Eclampsia hysterica his signis pathognomonicis dignosci dicitur: inchoat morbus suspiriis alte petitis, sensu globi hysterici et pharyngis constricti; impetus fletu et querelis et salivae profluvio finitur, mens sana redit convulsionibus confectis, aut mulier immobilis nil dicit, nihil videt et audit, sopore et rhoncho deficientibus.

Eclampsia tetanica his symptomatibus, ut dicunt, se manifestat: convulsiones corporis unam tantum partem invadere possunt, mente sana, vel torpor et rigor iis antecedunt, vel eas sequuntur; hic rigor fere nunquam totam aggreditur corpus, sed modo hac modo illa potitur parte. Aegrotae inter stuporem mentis non sunt compotes, neque illos sentiunt dolores, e quibus tetanici laborare solent.

Tertia eclampsiae species, epileptica, saepissime observatur. Impetui signa hysteriae, choreae, tetani praecedere possunt. Symptomata, quae hanc speciem testantur, sequentia habentur: tumor colli et faciei, congestiones ad cerebrum, os spumans, motus maxillae et linguae

---

[1]) **Velpeau die Convulsionen in der Schwangerschaft während u. nach d. Entbindung übersetzt von Dr. J. Bluff. Köln und Aachen 1835. p. 73.**

abnormes; convulsionibus absolutis facies livida, tumor adhuc praesens, torpor et rigor cerebri. Aegrota e statu hoc excitata supercilia ad frontem tollit, interroganti respondet, articulos movet, sed mox in somnolentiam recidit.

Ultima eclampsiae species insignis esse dicitur congestionibus ad cerebrum maximis, convulsionibus tardioribus; mens alienata impetui antecedit, lethargia eum consequitur, respiratio stertorosa, crepitans, palpebrae apertae lente clauduntur, uterus valde rigidus. Hancce speciem Velpeau saepissime secundo partus stadio deprehendit.

Quae divisio, quum modo ad formam spectet, non magni momenti est et in hoc ordine constituendo genera morbi complura in unum conjecta esse videntur; praesertim illam speciem hystericam, quam non nisi primis quatuor graviditatis mensibus observari Burns adnotat, hysteriam ipsam habemus.

MORBI DIAGNOSIS.

Diagnosis morbi, qui, ut eclampsia, si radices in corpore egit, ficillime extinguitur et funestissime devastat, tanto majoris est momenti, quanto facilius cum aliis morbis, non ita gravibus, confundi potest: innuo primum hysteriam, morbum quidem saepe atrocissimum, quod ad vitam autem nunquam tanti discriminis. Etsi eclampsiam comitantur symptomata, quae sunt hysteriae, tamen signa pathognomonica exstant. Eclampsia feminas robustas, corpore bene constituto praeditas prae ceteris corripit, hysteria autem illas, quae debiles et valde irritabiles caussa levissima in syncopen incidunt; hystericae faciem habent lividam, paulisper distortam, spuma oris abest,

sensus et mens multo levius sunt perturbati. Impetui hysterico antecedunt globus, suspirium, oscitatio, cordis palpitatio, cephalalgia, si adest, mitior et loco circumscripta, quam clavum appellamus; finitur impetus fletu, vel risu, singultu, ructu, salivatione, nunquam comate et sopore; pulsus non irregularis, plenus, durus, sed parvus et facilis compressu.

Ab apoplexia differt eclampsia praesentibus convulsionibus et deficiente paralysi, e qua apoplecticae laborant, si mentis potestatem recuperarunt.

Difficillime discernitur eclampsia ab epilepsia. Sunt, qui discrimen posuerint in aura epileptica; adest autem haec interdum inter eclampsiae symptomata, nec raro deest stadio prodromorum epilepsiae. Plurimum ad diagnosin confirmandam illud valet, quod eclampsia morbus est acutus, saepenumero acutissimus, epilepsia vero chronicus, qui initio leviter et paroxysmis satis longe distantibus vexat aegrotam, nec demum inter partum vel graviditatem mulieres adgredi solet. Erethismus epilepticarum minor, convulsiones non tam complicatae sunt.

Ab aliis convulsionibus, quae frequenter gravidis et parturientibus superveniunt, modo singularibus corporis partibus inhaerent, quas nonnulli autores eclampsiae gradum minorem existimant, eclampsia vera facillime conscientia et sensibus perturbatis discernitur.

MORBI PROGNOSIS.

Eclampsia est e numero gravissimorum morborum, qui in gravidas et parturientes invadunt, quum experti simus, dimidiam earum partem, quae tentantur, perire,

nec solum matris, verum etiam foetus vitam periclitari [1]). Signa, quorum ratio inprimis est habenda in prognosi statuenda, haec sunt:

Corporis constitutio, morbi praeteriti. Feminae plethoricae, robustae e congestionibus ad cerebrum laborantes, in majore versantur periculo, quam debiles et irritabiles, quae epilepsia vel hysteria jam premuntur. Mulieres, quae jam morbis organicis, ut cerebri, pulmonum, cordis, laborant, fere nunquam eclampsiam superant; ubi morbus hydropicus pectoris vel abdominis locum habet, non alia, nisi pessima prognosis constitui debet [2]).

Prognosis infausta erit, si paroxysmi maxima cum vehementia irrumpunt, per longum tempus perdurant et celeriter redeunt, si aegrota in intervallis mentis compos non redditur. Si cerebri affectio exstat, quaeritur, utrum sit idiopathica, congestionibus aut sanguine effuso inducta, an sympathica? idiopathica fere semper lethalis est, sympathica saepius remediis adhibitis expugnatur.

Maxima vero ratio in auguranda prognosi habenda est temporis, quo eclampsiae impetus oriuntur. Non ignoramus, eclampsiam periculosiorem esse existimandam, si inter graviditatis menses ultimos feminam aggreditur, quam si ad partum ipsum accedit, nam facile partum efficit praematurum, quo et matris et foetus vita in discrimen vocatur; sin autem parturientem petit, praecipue tertio aut quarto demum stadio, sperandum est, fore ut paroxysmi foetu edito cessent. Eclampsia a

[1]) Plenk Anfangsgründe der Geburtshülfe. p. 219.

[2]) Boër's Aphorismen Th. III. Aporism. 17. — Siebold Handbuch zur Erkenntnifs u. Heilung der Frauenzimmerkrankheiten. Bd. 2. p. 177.

graviditate aut partu ad puerperium porrecta non aliam quam malam admittit prognosin, quamquam exempla probant, hanc etiam habuisse eventum bonum, dummodo aliae caussae excitantes essent prohibitae. Ubi morbus originem duxit e metrorrhagia valde impetuosa et copiosa, feminae, quae eclampsiae non succumbunt, febri lenta exstingui solent. Prognosin semper lethalem habemus, ubi uteri ruptura, vel alia laesio gravior eclampsiam movit. Ubi impedimenta organica, aut foetus jam mortuus caussam convulsionum excitantem sistunt, prognosis ab eo pendet, utrum illa corrigere, hunc in lucem proferre liceat, nec ne.

Sunt quoque, qui usu edocti tradant, mulieres aetate minores et primiparas leviore premi periculo, quam provectiores et eaedem primiparae. Caussam inveniri putant in organis sexualibus rigidioribus.

Foetus in eclampsiae impetibus eodem periculo tentatur, quo mater. Boër de foetus prognosi haec apponit: „Raro infans, genetrice convulsa, immunis perstat, sed semper fere sub partu, vel brevi post demoritur. Etsi vix intelligas, quemadmodum accidat, res tamen nihil dubii habet;" usu autem edocti, sententiam hanc argumentis destitui, censemus.

Eclampsia inter graviditatem irruente foetus saepissime necatur. Ubi partum praecocem impedire non possumus, de vita ejus est desperandum, partu violento raro infans vivus nascitur, etsi graviditatis finis adsit. Sin vero mater inter pariendum convulsionibus corripitur, partus saepenumero facile finitur et foetus vita servatur. Post mortem matris, perpaucis casibus exceptis, foetum exanimem inveniemus.

NATURA ET AETIOLOGIA MORBI.

In morbi naturam et caussas inquirenti, variae ab autoribus pronuntiatae sententiae offeruntur. Canstatt fere haec habet [1]) si paroxysmi formae tantum rationem habemus, eclampsia ab epilepsia non admodum discrepat, sin totius morbi effigiem contemplamur, differentia perspicua est; eclampsia enim morbus acutus, epilepsia chronicus est, impetus eclampsiae alius alium excipiunt tam celeriter, ut intervallum vix et ne vix quidem pateat. Est autem fere perpetuum, quod auctor docet, ut eclampsia minus sit neurosis, quam epilepsia eaque ex sanguinis anomalia nascatur, quum sola sit duarum vitae periodorum, quae propriis vegetationis rationibus sunt insignes, nimirum aetatis lactantium et parturientium. Judice Burns eclampsia ex irritatione sympathica medullae spinalis oritur. Nonnulli existimant, eclampsiam venositate adaucta contineri, cujus haec ipsa sit symptoma (Freund, Betschler). Tiling caussam in actione uteri singulatim impedita inveniri putat, quod impedimentum aut ex utero rigido, aut e perversa nervorum efficacitate deducit. Power eclampsiam metastasi actionis uterinae in nervorum centra effici arbitratur.

Partes primas in hocce morbo gignendo graviditas agit. Conceptione toto in corpore, veluti evolutionis processu, actio insolita concitatur; menses cessant, sanguis non evacuatus ad uterum magis efformandum adhibetur, quo hic ita permutatur, ut compressis vasis

---

[1]) Canstatt Lehrbuch der medicinischen Klinik. p. 395.

majoribus nervorumque truncis sanguinis circuitus et nervorum actio alienetur et pervertatur, quod illi gravidarum affectus, quos observandi saepissime occasionem nanciscimur, ut vomitus, cordis palpitatio, cephalaea etc. confirmant. Inter pariendum autem hae turbationes ab utero emanantes multo sunt graviores: uterus valde extensus, rigiditas et durities colli uteri, velamenta nimis solida et resistentia, quae praesertim apud primiparas sese offerunt, gemelli, liquoris amnii copia totius nervorum systematis excitationem augent. Foetu expulso placentaque eliminata, eclampsia discedere solet, sin vero placenta exire haesitat, vel pars ejus in utero remanet, saepenumero in eo momentum primum cernitur ad eclampsiam evocandam. Aliam caussam, in partu et puerperio frequentiorem, quam inter graviditatem, exhibent haemorrhagiae, quae, minuta sanguinis copia et alienata indole, nervos ipsos incitamento ad vitam necessario privant.

Sunt, qui judicent, eclampsiam, epilepsiae instar, esse congenitam, cujusmodi exempla narravit van Swieten [1]; sunt quoque, qui contendant, eam esse nativam, id quod Tissot [2]) exemplis argumentari studet. Boër primus adnotavit, illas feminas minus esse obnoxias eclampsiae, quae hysteria laborent, quam robustas et plethoricas, quae simul admodum irritabiles, eo magis si primiparae sint. Opinio illa, feminas inter graviditatem venaesectionibus crebris submissas summopere ad eclampsiam esse

[1]) Commentar in Boerhaave's Aphorismen de cognosc. et curand. hom. morb. Tom. III.

[2]) Tissot's sämmtliche Werke.

pronas, ab Hamiltone refutatus, qui e contrario affirmat, venaesectionem ipsam illas sanasse gravidas, quae jam pedum oedemate laborarent. Aliae etiam caussae enumerantur a medicis, tamen est notandum, saepe nullum causale momentum inveniri. Caussae remotae, quae mulieribus opportunis morbum inferunt, hae sunt: laesiones corporis, praesertim capitis, motus nervorum, vel ira, vel indignatione, vel gaudio inducti, calculi in vesica urinaria formati, vel polypi, carcinoma uteri, vaginae atresia, situs abnormis vel foetus vel uteri, dolorum nimia atrocitas, forceps adhibita vel operationes aliis instrumentis peractae. Sunt quoque, qui foetus mortem et velamenta conscissa accusent. Alia afferuntur momenta ab aliis: aër humidus, calor aestivus, frigoris injuriae, coitus frequentior, nutrimenta prava, abusus cum ciborum et potuum tum medicaminum, praesertim drasticorum et pellentium et venenorum. Illa etiam sententia vera videtur, quae contagium psychicum statuit, etsi vox „contagium" probari nequit, nisi ea allegorice utamur. Est enim nihil aliud, nisi incitamentum proximum, quod feminis opportunis eclampsiam infert; nec mirum videbitur, easdem gravidas, partu paene imminente, sensibiles et, si primiparae sint, timidas magnopere affici.

MORBI EXITUS.

Morbi exitus triplex est: in sanitatem, in morbum alium, in mortem.

Si primum exspectare licet eventum, impetus rariores

fiunt et mitiores; aegrota, velut e somno excitata, mentem recipit et omnia symptomata, lassitudine quadam, languore et alienatis aliquot organis exceptis, evanescunt. Sunt, qui huncce exitum faecibus criticis, sudoribus et urina inductum viderint.

Alius, in quem abire potest eclampsia, morbus est mania, quam puerperalem appellamus, quem eventum iis in casibus frequenter observamus, quibus animi pathemata ansam praebuerunt.

Morbi somatici, quos eclampsia relinquit, maxima ex parte procreantur convulsionum ingenti vehementia, nec raro tales sunt, ut vitam extinguant. Saepissime observantur paralyses et cephalalgiae, interdum peritonitis et metritis. Merriman [1]) aegrotae mentionem facit, quae ex eclampsia convalescens, in epilepsiam, ad mortem usque persistentem, inciderit.

Sin vero exitus lethalis imminet, impetus impetum excipit, alter primo vehementior est et sic deinceps, stupor sensuum aegram ne in intervallis quidem deserit, convulsiones tandem morte terminantur.

NECROPSIA.

Sectiones mulierum, quibus eclampsia mortem intulit, parum lucis suppeditarunt et quae repertae sunt mutationes in cadaveribus magis morbi effectus, quam causae esse videntur. Alii seri aliquid in ventriculis cerebri,

---

[1]) **Merriman** l. n. p. 145.

meninges et cerebri substantiam rubicundas observarunt; Denmann [1]) vero nunquam sanguinem extravasatum se vidisse asserit, quamquam vasa sanguine abundarent; saepius autem invenit relaxatum, paene vacuum, pulmones compressas eorumque membranas unciis aliquot seri pellucidi impletas. Siebold [2]) in cadaveribus capite parvo et facie compressa praeditis ossa cranii valde crassa vasaque cerebri nunc sanguine oppleta, nunc plane vacua et arachnoideam inflammatam deprehendit. Idem hydrothoracem et asciten et, si eclampsia ex haemorrhagia originem duxerat, sanguinis coagula reperit. Alii cerebri et nervorum substantiam emollitam, pulti similem, sanguinis effusiones in ossis petrosi regione, in thalamis opticis, in corporibus striatis, uterum inflammatum animadverterunt. Medullae spinalis exploratio, usque ad hoc tempus paene neglecta, visa reperta, quae majoris fuerint momenti, non obtulit; mutationes positae fuerunt in aucto liquore et in medullae spinalis minore consistentia.

CURANDI METHODUS.

Remediorum copia ad eclampsiam subigendam adhibitorum sententiam illam vulgarem comprobat, quo minus intellexerimus morbi naturam, eo majorem esse cohortem medicaminum laudatorum et re vera vix ulla materiae medicae pars nominari potest, quae ad hujus morbi remedia cumulanda non contulerit.

1) Merriman l. c. p. 145.
2) Siebold l. c. Bd. II. p. 198. 207.

Curatio prophylactica.

Curatio prophylactica paulo tantum a graviditate levanda et curanda differt. Inprimis duae gravidarum constitutiones se offerunt, quae a medico sunt custodiendae, robusta et plethorica, aeque ac virium imbecillitas et sensibilitatis major aut minor gradus. Plethoram optime diminuimus, si cibos potusque exiguos, leviter nutrientes praescribimus et ambulando corpus exerceri jubemus. Plurimum autem sanguinis detractio ad eclampsiam cavendam valet, qua cerebro incitamentum et causam irritantem ipsam auferimus; sunt, qui eam tanti existiment, ut non dubitent, sanguinis uncias quadraginta ad quinquaginta detrahere. Haud minus apud gravidas plethoricas digestionis organa mensibus graviditatis maxime intueri debemus, quippe quae valde affecta et perversa esse consueverint, mulieres vero saepissime pudeat hujus rei mentionem facere. Jam sola alvus retardata remediorum usum expostulat; non drasticis autem, sed salibus et clysteribus alvus ducatur. Etiam vesicae urinariae ratio est habenda, quum experti simus, interdum convulsiones ex hoc organo irritatò originem duxisse.

Ad nervorum sensibilitatem debito graviorem moderandam indicationi sedativae locus est; cura ordienda est balneis tepidis, rusticatione, regimine praescripto, quod usum condimentorum potuumque excitantium vetat; altera parte modici corporis labores, animi tranquillitatem imperemus oportet, quibuscum illa conjungenda sunt medicamina, quae nomen gerunt sedativa.

Inveniuntur feminae, quae ex aliis morbis graviditate ipsa inductis laborant, quarum eae maximo in periculo versantur, quae statu hydropico sunt affectae. Cura prophylactica hos morbos raro tollit, quod graviditas ipsa totum remediorum apparatum adhiberi non patitur.

Ubi prophylaxis morbum gravem arcere non potuit, aut ubi eclampsia subito absque prodromis in gravidam irruit, in usum vocentur necesse est

Curationes therapeuticae.

Primum, ut in omnibus similibus morbis, id providendum est, ut aegrotae caput et pectus sit elatum, ne sanguinis ad cerebrum congestio augeatur, ut omnia amoveantur, quae mulierem paroxysmo oppressam violare possint.

Priusquam autem medicus curam aggrediatur, graviditatis statum perspiciat necesse est; femina extrinsecus et intrinsecus est exploranda, ea vero adhibita cautela, ne exploratio ipsa animum ejus commoveat, quod pavor et timor et quisque animi motus vim in morbum funestam exserunt.

Omnium remediorum ad eclampsiam curandam adhibitorum maxime a peritis medicis laudantur venaesectiones. De modo phlebotomiam instituendi sententiae valde discrepant; alii medici largissimam sanguinis copiam una vice adimi jubent, alii venaesectiones parcas et saepius repetitas saluberrimas existimant. Vix autem argumentatione opus est, illam Anglorum methodum (Dewees), quae sanguinis uncias octoginta et plures detrahi suadet,

non minus reprehendendam esse ea, quae parum sanguinis saepius adimens (Chaussier, Cruveilhier) non eum assequitur effectum, quem una venaesectione satis larga obtinemus. De loco, quo ea sit instituenda, variis temporibus variae fuerunt opiniones; alii venam brachii aut pedis secuerunt, alii venam jugularem aut arteriam temporalem praetulerunt. Venaesectio in pede instituta apud Gallos celeberrima fuit ex illo tempore, quo Vermont ea reginam Mariam Antoniam eclampsia liberavit [1]). Praestat fortasse, venam jugularem externam incidere, quoniam organo maxime affecto proxima est, ita ut hoc modo illud citissime et promtissime sanguinis copia nimia liberetur.

Ad curam juvandam sanguis quoque per hirudines et cucurbitulas detrahitur, quibus solis uti debemus, si eclampsia ex haemorrhagia uberrima effloruit. Multi sunt (Chaussier, Denmann, Lorentz), qui conjunctis venaesectionibus cum sanguinis missione locali prosperum se vidisse eventum affirment. Praecipue ubi singula organa doloribus agitantur, ut stomachus, uterus, alia, non tam sanguine imminuto, quam irritatione derivante prosunt. Merriman cucurbitulas cervici aut processui mastoideo et regioni temporali, venaesectione praemissa, admoveri suadet.

Quod ad phlebotomiae indicationem attinet, praesertim apta est ad statum cerebri hyperaemicum et congestivum tollendum, cujus jam supra mentio facta est; ubi vero sensibilitatis et irritationis signa praevalent, venaesectio

---

1) Velpeau l. c. p. 100.

medici prudentiam maximam exigit. Sanguinis copia ejusque detractio repetenda item ex illo cerebri statu metiendae sunt.

Huic apparatus antiphlogistici parti altera, frigus intelligo, prostante eadem indicatione, maxima cum utilitate adjungitur.

Aquam frigidam superinfundimus toti corpori, aut parti alicui, ut hypochondriis, capiti, spinae dorsali, aut gelidis epithematis capiti vel fronti impositis utimur, nec raro contingit, ut impetum hisce remediis caveamus, aut extravasatum jam exortum amoveamus. Schoenlein, uteri anomaliam pro caussa eclampsiae habens, frigida hypogastrio epithemata imponi et aquam in vaginam injici jubet [1]).

Alia medicaminum series, quae a multis impense laudatur, antispasmodica complectitur; minus tamen apta ad eclampsiam auferendam, quam levandam. Indicantur, si sanguinis congestione sublata signa nervorum commotionis manifesta sunt, aut si a morbi initio hujus systematis affectiones illas sanguiferi superant. Hujus ordinis remedia, quibus plurimum fidunt medici, haec sunt: moschus, castoreum, ipecacuanha, a Plenkio [2]) laudibus celebrata, rad. Valerianae minoris, aetheres, camphora, quam Berndt et Hamilton etiam atque etiam commendant. Hic loci quoque commemoratu digna videntur balnea te-

---

[1]) Schoenlein's Pathologie und Therapie von seinen Zuhörern. Th. VI. p. 111.

[2]) Plenk Sammlung auserlesener Abhandlungen. Bd. XII. pag. 251.

pida, vel simplicia, vel ex herbis antispasmodicis parata. Hauff, se balneis ex nicotiana tabaco paratis mulierem eclampticam, cujus de vita jam desperatum sit se sanasse affirmat. Etsi negare nequimus, ea nonnunquam salutarem vim in morbum exserere, tamen impetuum vehementia et frequentia saepe prohibentur et congestionibus urgentibus vetantur.

Etiam narcotica ad eclampsiam extinguendam adhibentur; ne vero haec incaute imperemus, multi recte monent, quoniam vires narcoticae sanguinem excitant. Sunt, qui propterea haecce remedia omnino reprobent. Etiamsi hos imitari nolimus, tamen cavendum est, ne iis utamur, priusquam venaesectionibus satis copiosis hyperaemiae symptomata sint sublata. Hujus ordinis remedia maxime laudantur: opium, belladonna, hyoscyamus, acidum hydrocyanicum. Romberg[1]) monet, ne opium post partum, venaesectione instituta, ad nervorum centra sedanda negligatur, etsi convulsiones cesserint. Loco opii morphium et morphium aceticum est commendatum, quod reputatu dignum videtur, quum non ignoremus, hocce medicamen minus excitare opio et vim sedativam habere eandem. Hyoscyamus et belladonna non modo per os adhibentur, sed et genitalibus inuncta multum valere videntur. Remer, qui eclampsiae originem e spinalibus nervis ducendam esse putat, acidum hydrocyanicum aptissimum existimat, quod medullam ipsam moveat, nec congestiones augeat.

---

[1]) Romberg Lehrbuch d. Nervenkrankheiten des Menschen. Bd. I. p. 574.

Sunt, qui methodum evacuantem frequenter exercuerint eamque impense laudent. Prae omnibus autem Merriman [1]) ea usus est, ubicunque signa gastrica fuerunt manifesta; vacuefecit emeticis et purgantibus. Emeticum illi statui omnino consentaneum videtur, nec audiendi sunt, qui, si congestio aut hyperaemia exstet, hoc remedium repudient, quum experti simus, idem in ipsa apoplexia multum valere (in quo morbo Heim emetica maxima cum utilitate adhibuit) et, si in stadio prodromorum porrigatur, epilepsiae impetus arcere posse [2]).

Addenda sunt ad eclampsiae curam spectantia nonnulla, quae ad partum referuntur.

Convulsiones parturientem invadentes saepissime partu ipso tolluntur, etsi nonnulli negant, partum aliquid prodesse itaque esse retardandum; contra viri spectatissimi, ut a Siebold, Carus, Osiander, Busch, experientia edocti, partum accelerandum esse, persuasum habent. Agendi ratio vero, quam obstetricium peritum ingredi oporteat, ex eo metienda est, utrum parturiendi actus sit regularis et omnia bonum et celerem partus eventum polliceantur, an dolores sint exiles, aut penitus nulli, ita ut partu cessante et viribus aegrotae confectis vita ejus in discrimen vocetur. Ubi parturientem in illa conditione versari videmus, ab omni heroica methodo abstineamus satisque habeamus, medicamine apto eam sublevare; sin uteri actio remittit, si dolores ad partum cessant et symptomata, quae matris et foetus periculum

---

[1]) **Merriman l. n. p. 142. 143.**

[2]) **Richter med. Chirurgie. I. pag. 132.**

indicant, adsunt, partus est maturandus. Quod ut efficiatur, inter remedia pellentia maxime laudatur secale cornutum, quod, si os uterinum et genitalia externa omni rigiditate carent, usu dignum videtur; ad uterini orificii vero rigiditatem tollendam unguentum ex belladonnae extracto paratum commendatur (Chaussier), quod genitalibus internis illinatur. Praeferendum est medicaminibus forcipis applicatio, simulac partus ita processit, ut eam administrare liceat, versio autem, si caput in pelvis apertura superiore haeret et orificium satis apertum est, ita ut manus sine magna difficultate induci queat. Partu violento fere nunquam nec matris nec foetus vita servatur. Sectio caesarea, qua praesertim infantem servare studemus, modo indicatur, ubi eclampsia pelvi vitiosa et nimis parva evocatur.

Nonnulli, utero liberato eclampsiam depelli, existimantes, partum effecerunt praematurum, nec raro eventum prosperum sunt assecuti; haec vero ratio morbum tollendi defendi non potest, nisi aegrota jam graviditatis mense octavo versetur.

Si convulsiones post partum manent, diligentissime est quaerendum, num quid adsit, quod nervorum irritabilitatem nutriat vel augeat. Hujusmodi injuriae saepissime sunt placenta, vel pars ejus in utero retenta, vulnera uteri aut vaginae, obliquitas uteri, ruptura perinaei. Placentam manu evellimus, uterum obliquum in situm normalem redigimus, incitamenta vulneribus inducta remediis supra enumeratis sedare tentamus. Praesertim vero ratio est habenda haemorrhagiarum et inanitionis inde exortae, quae saepius eclampsiam procreant aut

sustinent, quare haud ullum ad eas sistendas laudatum medicamen omittendum est.

Convulsionibus autem sublatis, medici est, morbos, qui consequi possint, dispicere eosque remediorum aptorum toto armamentario arcere; hujusmodi morbi, quos videre consuevimus, inprimis sunt peritonitis, metritis, enteritis, febris typhosa. Lochiorum quoque fluxus curandus et convalescenti regimen idoneum et psychicum et somaticum imperandum.

VITA.

Natus sum Carolus Hugo Tessmar Cussalini ante diem XIV Calendas Septembres, A. MDCCCXXIV patre Adolpho, matre Ludovica, e gente Wally, quam mortuam per annos XII valde lugeo. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus per IX annos gymnasium Cussalinense frequentavi. Anno XLIII maturitatis testimonio instructus Heidelbergam me contuli, ubi inter cives almae Ruperto-Carolinae ab Ill. Schweins sum receptus.

Per semestre hisce interfui scholis:

Ill. Muncke de physice;

Ill. a Leonhard de oryktognosia;

Ill. Bronn de zoologia;

Ill. Bischoff de botanice;

Exp. Ecker de osteologia et syndesmologia.

Verno tempore ejusdem anni Halas petii, ubi a prorectore t. t. magnifico Pernice civibus almae Fridericianae sum adscriptus.

Per duo semestria audivi:

Ill. d'Alton de anatomia universa et de arte cadavera rite secandi;

Ill. Erdmann de logice et metaphysice, de psychologia nec non de philosophiae historia;

Ill. Steinberg de chemia organica et anorganica;

Ill. Volckmann de physiologia;

Ill. Friedlaender de encyclopaedia medica, de materia medica, de medicinae historia.

Verno tempore anni XLIV Berolini ab Ill. Hecker, t. t. rectore magnifico, numero civium almae Fridericae Guilelmae adscriptus, nomen rite professus sum apud Ill. Wagner, decanum gratiosi medicorum ordinis spectatissimum.

Docuerunt me per quinque semestria:

Ill. Juengken chirurgiam tam generalem quam specialem;

Ill. Schoenlein pathologiam et therapiam specialem;

Exp. Dann pathologiam et therapiam generalem;

Ill. Mueller physiologiam;

Cel. Froriep anatomiam chirurgicam herniarum;

Cel. Troschel acologiam;

Cel. Schmidt artem obstetriciam;

Beat. Wagner medicinam forensem;

Exp. Ebert percussionem et auscultationem pectoris et morbos infantum.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis interfui virorum illustrissimorum et celeberrimorum: Romberg, Schoenlein, Truestedt, Wolff, Dieffenbach, Juengken, Schmidt.

Quibus omnibus viris optime de meritis gratias habeo quam maximas.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico nec non examine rigoroso superatis, spero, fore ut dissertatione et thesibus palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Scrophulosis et tuberculosis non discrepant.
2. Torsio vasorum minus valet, quam ligatura.
3. Sarcoptes scabiei non est causa.
4. Nonnisi relativae exstant trepanationis indicationes.
5. In gangraena senili omnis incisio usque ad vivum nocet.